

Universitätsbibliothek Wuppertal

**Iulianu Autokratoros Ta Sōzomena, Kai Tu En Agiois
Kyrillu Archiepiskopu Alexandreias Pros Ta Tu En Atheois
Iulianu Logoi Deka**

Julian <Römisches Reich, Kaiser>

Lipsiae, Anno MDCXCVI.

Widmungsbrief

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-1694



SERENISSIMO ATQVE POTEN-
TISSIMO PRINCIPI

FRIDERICO TERTIO

MARCHIONI BRANDENBURGICO,
SACRI ROMANI IMPERII ARCHICAMERA-
RIO ET PRINCIPI ELECTORI, PRUSSIAE,
MAGDEBURGI, CLIVIAE, IVLIAE, MONTI-
VM, STE TINI, POMERANIAE, CASSUBIO-
RVM VANDALORVMQVE, NEC NON IN SI-
LESIA CROSNAE DVCI, BURGGRAVIO NO-
RIBERGENSI, PRINCIPI HALBERSTADII,
MINDAE ET CAMINI, COMITI HOHENZOL-
LERAЕ, MARCAE ET RAVENSBERGAE,
DOMINO IN RAVENSTEIN, LAVEN-
BURGET BVTOW,

DOMINO CLEMENTISSIMO

EZECHIEL SPANHEMIVS.



Dorum summæ inter homines vel amplitudinis vel sanctitatis Auctorum, quæ hic in lucem proferuntur, opera, ad Te submissæ rite que defero, PRINCEPS SERENISSIME. Qua in re equidem nihil a me fieri, quod non vel Tuō fastigio, vel pietati Tuæ sit prorsus consentaneum, facile quiuis, vel me etiam tacente, intelligit. Illa enim est excelsa & Augusto culmini proxima potestas, quæ diuinitus, & auspicata nostris temporibus sorte, Tibi obtigit; quæque ei est consociata, summa rerum sacrarum, in amplissimis ditionibus Tuis, procuratio: ut vtroque illo nomine, ad suscipiendum gemini huius fœtus patrocinium, si vel nullæ essent meæ in illo edendo partes, non posses non rogari vel impelli. Neque vero Te ab eo amplectendo, vel me ab eodem Tibi nuncupando, deterrebit infaustum illius, cuius non imperii magis amplitudine, quam desertæ Christianæ Religionis infamia, insignitum est, ad omnium temporum memoriam, nomen. Magna quidem & æterna illa labes, qua Princeps cunctis cæteroquin naturæ, ingenii, doctrinæ & facundiæ dotibus cumulatus; nobili præterea virtutum, temperantiæ, continentiæ, liberalitatis, in ipso vitæ cultu moderationis, choragio stipatus; rerum præterea bello fortiter ac feliciter gestarum laude inclytus; omnia illa decora & ornamenta, una defectionis macula, penitus infuscauit. Quæ eotetrior, magisque deploranda exstitit, quod Euangelicæ luci, orbem Romanum, ipsumque Augustorum solium, iam collistranti, sanctissimisque doctrinis, quibus a prima ætate fuerat non imbutus solum, sed earum insuper in sacris Christianorum cœtibus anagnostes, reductam ex orco antiquam errorum caliginem, vanissimæque superstitionis ac impietatis ceremonias, anteponendas censuerit. Verum, sicut inde adspersam eius nomini labem, non eluere dicam vel tollere, quis enim Christianus hoc tentet? sed obtegere quomodo cunque aut eleuare, habito quopiam ad alia eius

eius decora respectu, neutquam hic induxi: ita eam, quam
hæc eius opera, in multiplici doctrinæ genere ab illo elucu-
brata, a tot retro seculis obtinuerunt, eruditionis & elegan-
tiæ haud vulgaris laudem, non ideo illis detrahendam cen-
sui. Neque enim ea solum a Christianis, et si eosdem male-
dictis subinde infectentur, ad nostram ætatem sunt trans-
missa; ac inde post renatas litteras, a viris grauibus ac eru-
ditis studiose conquisita, ac in lucem paullatim emissa: sed
illi ipsi, quos aduersus Religionem Christianam conscripsit,
qui que aboleri penitus meruerant, libri, in eundem grauis-
simi Antistitis, qua illos præclare confutauit ac repressit,
commentatione, seu luculenta eorum pars, superstites hic iti-
dem prostant. Ita citra ullam animi offensionem aut no-
xam, habent hic optimis artibus dediti, vnde erudiant men-
tem pulcherrimarum rerum cognitione; & simul aduersus
impietatis adspersum in iis virus, saluberrimis monitis ac
doctrinis pectus opportune muniunt. Incides vero ipse
haud raro, PRINCEPS MAXIME, quod non
omnes forte intelligunt, in effectam ibi rerum virtutumque
Tuarum imaginem: dum occurret Tibi, modo excelsa ac
læta in iuuentutis principe indoles, eademque præclaris
institutis ac disciplinis, sub magnis prouidisque eius pueri-
tiæ rectoribus, exculta: modo illa belli etiam artibus ac me-
ditamentis mature exercita: modo eadem cupiditatibus, in
illo lubrico ætatis locique gressu, quod diuinius est & prope-
modum singulare, prorsus inuidia. Aduertes autem haud
illibenter, immo quæ legentium oculos in Te continuo vel
animos conuertent, non in pacis umbra vel otio, sed in ipso
grauissimarum rerum discrimine, distenta itidem principa-
tus Tui primordia: bella similiter in ipsis eius auspiciis, non
quidem ad pacandas Gallias, contra Germanos aut Fran-rectius Alamannos
cos, qui easdem ferro & incendiis vastarent, vti a IV L I-
ANO Constantii Imperatoris iussu factum, suscepta; sed
ea pro Germanorum salute ac libertate, aduersus grauem
vtrique veterum illorum Francorum propaginem, vltro &
for-

fortiter mota; ac feliciter gesta: consertas acies, vi-
tricesque in iis Tuas Aquilas: captas arces validissi-
mas: expugnata iisdem ferme in locis oppida, non situ ma-
gis & operibus, quam numero & virtute præsidiariorum
munitissima, Bonnam, Cæsaris Insulam, Rhenobergam:
indeque vere recuperatam itidem, non excisam quidem, uti
ad principis huius eas in oras aduentum, apud Ammia-
num Marcellinum legitur, sed obsessam velut Agrippinam.
Ita primo ac altero principatus Tui anno, sicut ab illo fa-
ctum similiter fuerat, erecta a Te ad Rhenum tropæa: ve-
rum eadem non de subitariis, aut semiermibus, vt de iis
IVLIANI gestis aiebat apud eundem *Historicum* Con-
stantius, vel inconditis hostibus; sed de veteranis, de exer-
citatis accurata disciplina militibus, de fortissimis ordinum
ductoribus, relata. Sed quam potiora sunt ac illustriora,
præ militaribus huius Cæsaris actis, bellica illa Tua de-
cora? dum non ad Rhenum solum legiones Tuæ summa
virtute & gloria dimicarunt, sed eadem hinc ad Mosam, il-
linc in inferiori ac superiori Pannonia, ad Istrum, ad Sauum,
ad Tibiscum; modo in Taurinis ac in Cisalpina, vt a Ro-
manis olim dicebatur, ad Padum Gallia, in oppugnandis de-
nuo validissimis urbibus, inexpugnabilibus propemodum ar-
cibus, committendis præliis, consociatæ Tuæ cum fœderatis
copiæ, idem ubique virtutis gloriæque certamen subiere,
illibatamque fortitudinis laudem, non amplissimo solum so-
ciorum, sed ipsius etiam ferocissimi hostis iudicio, sunt con-
sequitæ. Ita Vandalicæ Tuæ acies, non iam ad Italicæ,
aut vero ad aliarum gentium terrorem ac excidium, lari-
bus suis egressæ, trans Alpium iuga, (vt illarum haud in-
solitas tutandis ad Orientem, ac ad montes Carpathios,
Christianorum finibus expeditiones hic mittam) ductore for-
tissimo Augustæ Tuæ Gentis, eodemque Tecum invicto Ge-
nitore prognato, crudeli vero fatorum lege, nuper rebus
humanis exempto Principe, formidata sua intulerunt signa:
sed ad Italicæ tutelam; ad excelsi fastigii & animi, alterius

Prin-

Principis, qui in ope etiam Tua aliquod sibi præsidium fore intellexit, defensionem; ad propellendum non imminenter solum hostem, sed iis in oris Tarpeiae velut arci denuo ac dudum insidentem. Ita partam sub Diuo Parente Tuo, tot laureis, tot victoriis, tot triumphis, Brandenburgici militis gloriam, latius adhuc Tuis sub auspiciis, ad communem quasi gentium salutem ac libertatem, diffusam, idque intra aliquot demum annorum decursum, primumque velut Tuæ laudis ac potentiae auctoramentum, altius adhuc extulisti. Quod vero præclarus est & memorabilius; nullo, ut eadem bella susciperes, ad privatam utilitatem respectu adductus; non ad prolatandos ditionum Tuarum fines; non cupiditate inanis gloriae, vel quæsito specioso quopiam cruentæ vanissimæque ambitioni colore: sed una in patriam fide, in afflictos caritate, in fœderatos religione, in publicam libertatem studio ac voluntate. Adeo, ut quum principatus Tui primordia in illud grauissimum rerum discrimen incidissent, ubi ad nouas rursus inclinationes temporum vergere, non Germaniae solum, sed Europæ totius fata videbantur: Tu uni illi, quæ ad salutem publicam ac securitatem adserendam adfulgere videbatur, occasio diuinitus oblatæ intentus, in hanc faustam consiliorum societatem es continuo adscitus, quæ Tuis quoque viribus, Tua fide ac auctoritate, erat omnino confirmanda. Qua vero animi magnitudine, vel tum ea spreuisti, quæ inde Tuis ad Rhenum ditionibus a vicino & formidando hoste imminebant, vix, non Tuis dicam, sed humanis viribus depellenda, in prima nempe belli alea, pericula; vel Te amplissimis conditionibus inescari non es passus, quibus a generoso fortique, illatas in Germaniam infestas acies, direptasque aliquot eius prouincias, repellendi recuperandue proposito, quoque pacto recederes. Quam alti vero illud fuit prouidique consilii, præclaras spes non ad præsentem utilitatem, non ad quietis illecebras, non ad alicuius periculi aut

damni

damni etiam leuioris respectum; sed ad futuram tam sui,
quam socrorum maxime, quorum conditioni aut fortunis
quis est magis illigatus, salutem, securitatem, gloriam; ad
mutandas tandem, haud vana vel male fundata opinione,
rerum vices, conuertere ac metiri! A quo autem consilio
quantum recessit nouissimum illud, cuiusque in his eius ope-
ribus facta est ab eodem mentio, susceptum a IVLIANO,
vno æstu inanis gloriæ, contra Persas bellum! inde ulro
iis quiescentibus illatum; improuide, extra præscriptos &
constitutos velut a natura Romano orbi fines, sine idoneo
commeatu, perque inuia velut loca, gestum; idemque etiam
eo infelici exitu, ipsius scilicet Imperatoris cæde, imperii
autem nobilissimarum aliquot prouinciarum iactura, nec ci-
tra leue Romani nominis dedecus, terminatum. Sed
quam abeunt itidem ab illius principis, tot alioquin belli &
pacis laureis, quas paullo ante adtigimus, cumulati ex-
emplo ac institutis, alia Tua, quæ vel populis Tuis impertis,
vel quæ ad alios etiam pertingunt, & quorum fructus ac
memoria ad posteros, cum æterna Tui nominis laude, trans-
ibit, decora ac ornamenta? Quum enim non iisdem sacris,
seu de religione sententiis, sint addicti, qui in amplissimis
illis lateque diffusis prouinciis Tuis habitant, ciues vel op-
pidani; pari tamen eos humanitatis, benevolentiae, patro-
cinii nexu foues, complecteris, tueris: qui nec vim solum
ac iniurias a singulorum arces capitibus, sed eorum saluti,
concordiae, & commodis, quaqua uersum consulis. Hinc tan-
tum abest, vt, fœdo rursus huius Imperatoris exemplo, inter-
dicta sint iis, qui a Te in nonnullis religionis capitibus dissen-
tiunt, optimarum artium studia, quique illos in iis erudiant
doctores & magistri; vt a Te nuper sint erecta noua adhuc &
lauta litterarum ac doctrinarum prytanea, in quibus, præ-
ter aliarum disciplinarum cultum, iis imbuantur dogmati-
bus, quæ a Tuis etiam discrepant, quicunque iis
vel nascendi conditione, vel proprio iudicio ac instituto,
sunt dediti. Immo qui illud intendis vñice, vt, si non sen-
ten.

tentiarum ubique, at animorum saltem fiat maneatque inter eos consociatio: ut ciuile, non bellum solum, sed nec odi-
um, non rixæ, contentiones, contumeliae, clandestinæ ar-
tes, inter ciues populosque Tuæ fidei ac tutelæ creditos,
serpant occulte, vel paullatim adolescent; iisque dein inter
se, malo fato & exemplo, aduersis frontibus concurrant
aut collidantur. Sed quam alia adhuc sunt, & insignia,
ac testata Tua, in omne litterarum ac optimarum arti-
um & doctrinarum genus, merita! Bibliotheca, quam Di-
vus Parens Tuus, non buius adeo IVLIANI, cui &
hanc laudem tribuit familiaris eidem Sophista, aut alio-
rum veteris vel recentis memoriae laudatissimorum princi-
pum exemplo; quam excelsa illa, & omnibus pacis haud mi-
nus quam belli artibus fœta mente, inductus, exquisito stu-
dio sumptuque fundauerat: eadem, inquam, 'Tuo prouis-
su iussuque non in dies solum locupletatur, sed quo insuper
pateat quotidie singulorum usibus, qui illam omnium
doctrinarum penum consulere gestiunt. Accedit
insignis prisci auri, argenti, æris, rumque veterum, Eridisse videnter lite
aut gemmarum supellex; cuius præclaram ac multiplicem rae: nummorumque
utilitatem, ad omnem veteris eruditionis elegantiam,
quiuis hodie non plane illitteratus intelligit: eademque,
non in nummariis solum arculis ac thecis, ad splendorem
Tuæ penus antiquariæ, recondita; sediam Tuis auspi-
ciis, Tuaque munificentia, hoc ipso tempore, in omnium oculos &
usus incurrens: immo præmiis insuper adlecti, qui la-
tentest alibi aut sparsos, variis in Gazis aut Museis, locu-
pletissimos veterum nummorum thesauros in publicam
lucem, intento studio ac labore, breui quoque exprome-
rent. Quæ dum hic tango, vel delibo, summa laudum.
Tuarum capita, ad ea me demum hic respicere quiuis fa-
cile intelligit, ad quæ studiosi omnium cognitionum,
ut de eo grauis eique coætaneus Auctor loquitur principis,
multisque præterea, qua pace qua bello, communibus Te-
cum virtutibus aut gestis celebrati, opera me continuo

re-

reuocarunt. In quam proinde classem referri, nec inter postrema utique, meretur illa singularis in egenos quosuis ac peregrinos beneficentia; quam a Christianis suo æuo passim ac effuse præstari solitam, non commemorat solum, sed extollit, commendat, sibique ac aliis Gentilibus imitandam proponit, qui a Christianorum cæteroquin sacris ac fide non defecerat solum, verum eam in iisdem illis conscriptis a se Epistolis insectatur, IVLIANVS. Quam vero præclaram ac sinceram huius beneficentiae laudem, ab illo Herroe iniuncto, Parente Tuo, diuina quadam mente suscepitam, omnis ætas, ut de hac taceam, sed nunquam satis prædicabit: quis impulsus, patria, laribus, fortunis eiectos, aut profugos; alios tetro etiam carcere, omnis generis contumeliis, verberibus, remigii pœna, aliaue calamitate multatos vel adflictos; nullius cæteroquin in principem vel in patriam culpæ reos vel adfines, nisi quod potiorem habuissent eo, quo auita eiurare sacra iubebantur, imperio, suam in Deum fidem; hospitiis, opibus, priuilegiis, honoribus etiam prosequi, fouere, immo adlicere, promulgatis quoque ea de re humanissimis indulgentissimisque Edictis, est adgressus. Quam virtutem ad Te, cum reliqua paternæ hæreditatis gloriæque, qua splendidior utique ac integrior obtingere Tibi non potuit, amplitudine transmissam, ita ab ipso principatus Tui exordio excoluisti; ut in media etiam, ad quæ continuo Te Europæ fata ac salus adegerunt, bellorum mole, non ademptum sit, aut vero conseruatum duntaxat, sed duplicatum mox illud tot miseris ac adflictis impertitum a Diuo Parente Tuo beneficium: quibus undique in ditiones Tuas confluentibus, in iisdem perfugium, asylum, hospitium, alimentum est a Te diuinitus concessum itidem vel adsertum. Ita fundatæ paullo ante in hac Tua urbe vere regia, aliisque prouinciarum Tuarum oppidis aut locis, e veteranis non solum Christi militibus, sed e promiscuo exulum omnis ordinis ac ætatis, iisdem purioribus Tecum sacris addictorum, grege, coloniæ, nouis adhuc

buc maioribusque incrementis cœperunt efflorescere : non
Romani quidem aut Italici iuris vel ritus legibus , ce-
remoniis , aut priuilegiis ornatæ ; sed eo , cui omnia nec
immerito posthabuerunt , sacrorum cultu ; patriis etiam ,
verum innoxiis probatisque , cum statutis , tum rectoribus ;
scholis præterea , gymnasiiis , opificiis , alioque haud uno
benignitatis genere , singulari Tua indulgentia ac libera-
litate , recreatæ & locupletatæ . Cuius equidem solatii ,
quo inde tot miseri alleuantur ac eriguntur , sensu , non pos-
sum non eo intimius adfici : quod , qui illius calamitatis , qua
iidem ante annos haud ita multos sunt primum in floren-
tissimo Regno , pacatis eius rebus , a ciuibus suis ac popula-
ribus , regiisque Edictis , vexati ac adtriti , testis fueram ;
idem Tuæ illius singularis ac inexhaustæ hactenus in eos
beneficentiae , idque Tuò iussu ac nutu , subinde iis interpres
esse soleam . E quam dissimili vero fonte , ab eo IVLIAN^I
consilio , profluxit illa diuina Tua virtus : quæ non adeo ad com-
munia humanitatis iura , nec ad varias , quibus mortalium
conditio subiacet , rerum vices , respicit ; quam ad Deum ,
auctorem illius , quam in Te prouide , & largiter quidem , con-
tulit , ad subleuandos egenos , facultatis ; quam ad communia
illa Tecum sacra , quæ omnibus rebus Tuis , omnibus Tuæ po-
tentiae fastigiique ornamentiis , ducis longe antiquiora : ob
quæ autem iidem in eas miserias sunt coniecti . Ita dignam
reputas illorum in eiusdem Tecum fidei ac veritatis professio-
ne constantiam , quam in Christianis suæ aut superioris æta-
tis agnoscit ac enarrat similiter in hisce operibus , sed quam
inuitus ! idem IVLIANVS , quam ipse ultro & assidue Tua
liberalitate remuneret & complectaris . Ne illud iam at-
tingam , sed tamen quo colore hic prorsus reticeam ? quam
proprioribus adhuc rationibus non possit non me adficere vel
commouere , Tua in Palatinos exules haud minus effusa
ac singularis benignitas . Quomodo enim mihi inquam exci-
det , nisi ubi mei capiet obliuio ? aut quod e cumulata il-
la diuinitus omnibus cœli solique bonis regione , cœu e ma-
iori .

iori patria, originem ducam; & in qua ipse, restitutus ac flo-
rentibus eius rebus, florentem ætatis partem, neque in unius
præclari honoratique munera procuratione, olim egerim:
aut vero, quod lætam eandem pulcherrimamque prouinciam,
non iam adfictam solum, aut saeuis bellorum procellis con-
quassatam; sed inaudita insuper immanitate prostratam, ia-
centem, ac, ubi Troia fuit, ubi gloria tot veterum Heroum,
ac Sionis quondam in Germania Domus, ne segetem quidem
propemodum relictam intelligam. Hic vero ille, tot nem-
pe miseros & egenos, tot, aut diritate bellorum vel hostium,
aut una communium Tecum sacrorum caussa, profugos &
extores subleuare ac erigere, non beneficentiae solum.
Tuæ ac humanitatis, PRINCEPS OPTIME, sed
pietatis, flagrantis quippe ac sinceræ, fructus uberrimus;
quæ vt virtutum non solum regina, sed summa velut &
compendium, ita in Te elucet, vt ad eius normam, acti-
ones Tuas omnes & consilia referas, vitam instituas, pu-
blicam rem ac priuatam cures, sacrorum vel in primis pro-
curationem, in amplissimis illis Tuis prouinciis, adtente
riteque respicias ac tuearis. Ter equidem de die, sin-
minus mane ac vesperi, Diis esse supplicandum; alibi, vtro-
que illo tempore, sacra a se, nempe Pontifice Maximo
haud minus quam Imperatore, studiose fieri iisdem Diis,
testatur in Epistolis a se scriptis, quæ hic itidem leguntur,
IVLIANVS. Sed quam aliena ab eadem mente! quam ab impio & superstitioso eius cultu, diuerso vtique
consilio, ritu, fine, vota quotidie summo imperiorum arbi-
tro nuncupas & exsoluis! vt Tuam, eorumque, qui Tibi
sunt subiecti, populorum salutem fortunet, illumque, quem
Tibi diuinitus indidit, animnm, supra caducam imperiorum
ac fortunarum quarumcunque sortem euectum, adserat Ti-
bi & confirmet stabilem ac perpetuum. Hinc illa inteme-
rata ac sollicita in iudiciis, consiliis, decernendis præmiis
ac pœnis, novis constituendis legibus, cura tua & adten-
tio

tio. Hinc (ut in eo , regiae huius Tuæ virtutis , sed quam insigni saluberrimoque documento ! nunc acquiescam) sub ipso principatus Tui exordio , seueris edictis coercita illa plus quam gladiatoria ruentum , leuissima ferme de cauſa vel futili obtentu , in mutuam corporis animique perniciem feritas : immo eadem recentibus etiam , quæ inter tristia sed iustissima ac necessaria , reputabas , exemplis , in superstites illius sœuitiæ reos animaduersa . Alia Tua decora iam omitto , quæ Te potentia , viribus , prouinciarum amplitudine , Regibus parem ; dignitate proximum ; animo , virtute , fide , multis superiorum , certatim ambiunt ; Europa vero , conuersis quaqua versum in Te oculis studisue , vel colit vel agnoscit . Neque enim aliud suscepit huius de Te sermonis vel consilium vel argumentum mihi nunc proposui : quam vt hosce cum fortissimi eruditissimique Imperatoris , tum grauissimi sanctissimique Antistitis , illustratos , aut illustrandos adhuc , mea qualicunque opera , libros , Tibi submisæ nuncupandi rationes , haud a me utique , vel ab iis alienas , omnibus hic adprobarem . Quas dum subinde , immo frequenter , mecum reproto ; ita inclinata mea iam ætate , post eam in publico munere , multos annos , neque in uno terrarum tractu , exactam , eome tandem bono madum ab annis aliquot video ; vt eorum , quæ modo de Te adtigi , non laudatori quidem , neque enim talibus vel modestia Tua , vel fastigium Tuum indiget , sed quotidiano velut testi , singulari Tuo beneficio , mihi esse liceat . Qui enim Diuo Parenti Tuo , una obsequiorum fide (quo enim alio magis iure id potuisse , aut iam ante , sub alio eiusdem ordinis laudatissimo Principe , plures annos , promereri ?) probatus in eundem , in quem me ab illo prouectum itidem videram , honoris locique gradum sum a Te , ubi in excelsò Maiorum Tuorum folio consedisti , clementer adsumptus ; haud una insuper Tuæ in me benignæ voluntatis propensiæ iudicij significatione recreatus . Vnde hoc unum , iisque

quam

quam possum feruidissimis iugibusque precibus , a Deo li-
ceat hic mihi contendere ; ut eam mentem ac felicitatem, qui-
bus ille Te hactenus , & propitio quidem ac singulari fato,
decorauit, ad Populorum Tuorum salutem ac tutelam ; ad
Germaniae decus & præsidium ; ad Europæ quietem ac li-
bertatem ; ad serenissimæ Gentis Tuæ gloriam, nouaque il-
lius incrementa, conferre , læto semper & quam longissimo
vitæ cursu , valeas.

Berolini Prid. Idus Aprilis M DC XCVI.

